



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad
Perfectionem per Exercitia Spiritualia**

Vatier, Antoine

Dilingæ, 1689

II. De Tribus Modis Humilitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60263)

sum pati, ut tibi bene fit; sive, quòd se Divina Providentiæ plenissimè committat, qui sui venerationem nunc permittit: sive denique quia natura suis laudibus non repugnat, & gratiæ Divinæ motus nihil animo acerbè infundunt.

XV. ANNOTATIO.

Considerandos priùs esse tres modos Humilitatis, quàm Meditatio de tribus Classibus fiat.

Verum est, quòd Sanctus Ignatius, &c.

Pro Meditatione de tribus modis Humilitatis.

Cùm hæc sit mens Sancti Ignatii, ut in Christi signis militantes verâ animum Humilitate exornemus, idcirco vult, ut toto hujusmodi tempore, & consideremus, & mente idem repetamus, tres hosce Humilitatis modos, ut cum intellexerimus, quodnam inter illa discrimen sit, uni tandem, in quo sincera Humilitatis virtus versatur, Christi Salvatoris exemplum secuti, nos applicemus, neque contenti studeamus esse sola quadam & fallaci Humilitatis imagine.

Hanc porrò considerationem, non in me-
itationis alicujus formam concinnare voluit,
arbitratus satis fore, si discrimen veram inter, &
alteram illam humilitatem penitus intel-
legeremus. Et cùm omnis alioqui meditatio
spirituale quoddam principium contineat, quod
rectè penetratum ratiocinationis beneficio, vo-
luntatem ad sanctum aliquem affectum move-
at; in hac consideratione Sanctus Ignatius vo-
luit, ut sine ulteriori discursu, sine alio volunta-
tium motu, toti in eo scilicet essemus, ut inge-
nuam humilitatem ab altera ignobili secerne-
re discamus. Ille enim animus, qui pene-
traverit studiosè ea, quæ in meditatione de du-
plici Vexillo allata sunt, ampliori certè consi-
deratione non indiget, ut ad humilitatis se-
ntorem excitet, sed solum de eo sollicitus jam
est, quinam ex tribus humilitatis gradibus præ-
stantior sit, & securius amplectendus. Certè
convincere meditantem Sanctus Ignatius stu-
dit, & hoc nimirum tanquam demonstratum
habere, quòd amari humilitas debeat, idque
brevisimo hoc argumento efficaciter adstru-
it: quia nimirum hæc virtus unica est ad per-
fectionem semita, & superbia ex adverso uni-
ca ad omne malorum genus dispositio. Quæ
ratio esse debet, nisi fallor, plus quàm sufficiens,
ut

ut amemus & animum desideremus celeste hoc Decus. Atque adeò nihil jam superest, quàm ut intelligamus, in quonam consistat tam commendata nobis virtus.

Hæc equidem quamvis ita se habeant, nihil tamen prohibet, in meditationis formam, tam hanc considerationem constringere, adhibito & discursu, & voluntatis affectibus, quibus eò feramur, quò nos Sanctus Ignatius invitatur, hoc est, ad firmum animi propositum, annihilationem nostram ubique procurandi, & quandocunq; ultro nobis occurrat, eam, quantum sine Divinæ Gloriæ detrimento fieri poterit, amplectendi. Meditatio tria habet particulas pro triplici scilicet diverso humilitatis genere. Singula puncta paulò amplius exponuntur, ut manifestius appareat, quænam sit humilitatis formæ, & quid ad singulas potissimum pertineat. Excipient huiusmodi explicationem affectus aliqui, qui excitari possunt, unde desideratum finem opportunè pertingamus.

Undecima Veritas

Explicata in Meditatione de tribus modis Humilitatis.

In omnibus meimet annihilationem querere debeo, eamque, quoties occurrerit, sequi.

*Divina Gloria detrimento possit fieri, impleri
portet.*

Primum & secundum punctum ostendit,
quod primus & secundus gradus humilitatis,
qua humilitationem non nisi coactus quis ad-
mittit, non sint vera solida & sincera humili-
tas. Unde sequitur, qui hanc cupit obtinere,
cum non quandoque tantum, sed in omni
proprus eventu humiliare se debere; id quod stu-
diose observant, qui non commentitia qua-
dam Humilitatis umbra contenti sunt.

Tertium docet, quod vera humilitas vili-
pensiones animi diligit, in iis sibi compla-
ceat, easque acceptet nulla cogente legis cu-
juspiam violentia; & quod illas non solum li-
benter, sed cum animi quadam exultatione
querat, neque fugiat prius, quam Deus jubeat.
Et hoc est, quod Veritas proposita dicit: ample-
cti nos debere contemptus quocunque eventu
nobis immisos, quantum sine Divinae Gloriam
detrimento possit fieri: nostrarum enim re-
rum vilipensio nunquam Divinae Gloriam in-
crementis contraria est, nisi tunc solummodo,
quando illas amare à Deo ipso prohibemur.

Si quis obiciat, cum Sanctus Ignatius hanc
de tribus humilitatis modis considerationem
non in meditationis forma proposuerit, pepe-
ram

nam à nobis id agi, quòd propriam illi veritatem aliquam assignemus, et nos respondebimus, quòd sicut meditatio de tribus modis humilitatis in meditatione de duobus vexillis quodammodo includitur, ita undecima etiam hæc veritas, quæ huic, quam modò exequemur, meditationi respondet, in decima veritate, propriâ meditationi de duobus vexillis, quodammodo comprehensa sit. Manifestum enim est eum, qui vitam suam sanctissimis Redemptoris nostri exemplis conformem vult agere, omne humiliationum genus tam promptè debere animo passim admittere, quàm studiose illas humillimus Salvator noster amplexus est.

Meditatio.

De Tribus Modis Humilitatis,

Oratio præparatoria ordinaria.

I. PRÆLUDIUM. Audire Christum Apostolos suos Matthæi. i. i. ad Mansuetudinem & Humilitatem invitantem: *Discite à me, &c.*

II. PRÆLUDIUM. Petere gratiam cognoscendi, amandi & fideliter exercendi Optimi Redemptoris mei Humilitatem, meque ad quærendam in omnibus meimet annihilationem, & amplectendos omnes undecunque even-

nientes contemptus resolvendi, quamdiu Divinae Glorix detrimentum nullum prudenter timeri debet.

I. P U N C T U M.

Primus Modus Humilitatis.

Consideranda.

Ut propriis Sancti Ignatij Verbis, eorumque planiorem aliquam explicationem adjungam, altissima enim est, quam in se comprehendunt, doctrina: sic ergo loquitur:

Primus Humilitatis modus est ad salutem necessarius: ut me penitus subdam Divinae Legis observanda: utque ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ discrimine objecto, transgrediar ex deliberato mandatum ullum Divinum aut Humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget.

Quasi diceret:

Primus Humilitatis modus est, ita se in omnibus mandatis, graviter obligantibus subicere, ut pro nullius rei quantæcunque pretio deliberatè aliquod transgredi, quis audeat. Primus ergo Humilitatis modus ita amorem vitæ, voluptatum, opum, & honorum mo-

deratur, ut cedere velit omnibus mandatis sub
 gravis peccati culpa obligantibus. Neque do-
 bium est, quin sit aliquis Humilitatis modus
 hæc submissio; vera enim Humilitas hoc ha-
 bet, quod sui studiosum Divinis præceptis, et
 legibus plenissimè submittat.

Pari ratione certum est, hunc Humilitatis
 modum Primum esse, neque enim supponitur
 duos illos, qui sequentur, & ab illis tanquam
 primus supponitur. Est item necessarius ad salu-
 lutem, quia salvari nequit, qui non ita anima-
 tus est, ut mori potius velit, quam gravi DEUM
 peccato offendere. Utcunque autem necessarius
 sit hæc talis voluntas, tamen sufficiens non est.
 Nunquam enim totum illud opere comple-
 mus, quod facere proposuimus. Longe pluri-
 rumque inferiorem metæ partem tangimus,
 quam illa sit, in quam ictum statuimus incli-
 re. Nempe idem nobis, quod sagittæ auc-
 rez glandi accidit, quæ ex fistula excussa natu-
 li sua gravitate, dum ad scopum evolat, ita im-
 primitur, ut nunquam punctum illud tangat, ad
 quod primæ collineationis vi directa fuerat.
 Sic naturalis nostra infirmitas tam iniquo pat-
 dere voluntatem aggravat, ut plerumque longè
 remissius, quam pro voluntatis fervore debet
 fieri, soleamus agere. Proinde qui non curat, nisi

mortalia cavere, nunquam ita cautum se fore
speret, quin aliquando necesse sit etiam gravius
impingere; labetur sine dubio etiam in lethale
noxam aliquando, maximè cum natura
frequenter nos decipiat, & non rarò illic post-
modum gravis peccati malitia latuisse depre-
hendatur, ubi primitus non putabatur adfore.

Hæc ergo Humilitas, si sola in homine sit,
adulterina est, ut ex ipso, unde nascitur, motivo
cernere licet, quod aliud non est, quàm inferni
metus. Alis Divinis legibus & placitis, quæ
non æternos ignes prævaricantibus commi-
nantur, nihil flectitur: quid multis? Humilia-
tionem ultro non quærit, ut genuina facit Hu-
militas; sed illam solum acceptat, quam ne re-
pudiet, æternæ damnationis minis coërcetur.
Hæc non est Christi Salvatoris Humilitas.

Affectus.

1. Gratias tibi mi Jesu, infinitas, quòd mi-
serabili illo statu me exemeris, in quo tam faci-
le Divinis legibus tuis contraria præsumpsi.
Ne permittas, obsecro, ut in illum unquam de-
inceps recidam. 2. Benignissime Redemptor,
qui me ad veram Humilitatem invites, ne per-
mitte, ita animum mihi excæcari, ut pro Hu-
militate habeam id, quod aliud non est, quàm
debita gravissimis præceptis tuis subjectio.

Ff 4

3. Assiste

3. Assiste mihi Divinæ gratiæ tuæ præsidio, ut nullam ex his legibus tuis, vel deliberatè, vel quoquo modo violem; sed neque illud permittes, ut satis illud mihi sit, quod Sanctissimæ voluntati tuæ non satis probatur. 4. Desidero, mihi Jesu, tantùm me humiliare, quantum ad salutem meam securitatem necesse est, id est, quantum Divino beneplacito conforme erit. 5. Dignare, deprecor, tam generosis Divinæ gratiæ tuæ motibus mihi pectus animare, ut ad illud semper aspirem, quod sublimius & virtutibus arduæ conveniens est.

II. PUNCTUM.

Secundus Modus Humilitatis.

Consideranda.

Verba Sancti Ignatij de hoc modo talia sunt.

Secundus modus Humilitatis majoris perfectionis, si nimirum animo ita comparatus sim, ut ad divitias, Paupertatem; Honorem ignominiam; brevitatem vita ac longitudo nem, aequè sim propensus, ubi equalis est Divina laudis, & salutis mea occasio. Vique nulla, vel humana, quantacunque, felicitatis, vel propria mortis conditione proposita, addu-

...nunquam, ut culpam licet venialem tan-
...decernam admittere.

Hoc est:

Secundus modus humilitatis, ita divitiarum,
honorum, vitæ, & omnium terrestrium bo-
norum amorem temperat, ut illum cuicumque
etiam minimæ legi, quæ sub peccato quopiam
obligat, subditum faciat, utque homo quan-
tumcumque ex his bonis, nulli opposito malo
preferat, nisi id major DEI gloria, & salutis
saceratio postulet.

Perfectius est hoc humilitatis genus, quàm
primum fuerit, quia perfectius hominem DEO
subijcit, sed ad tertij, quod sequetur, nobilita-
tem non assurgit, quia minùs adhuc, quàm il-
lud facturum sit, humanum animum deprimat.
Cum ergo primum inter & tertium humilitatis
modum medius sit hic, de quo jam sermo est,
hic secundus dicitur.

Est autem & sufficiens ad salutem. Qui enim
infirmatus est animò, ut peccare non velit,
in cujuscunque gratiâ, quamvis aliquando la-
psum sit, nunquam tamen in peccatum mor-
tale incidet: quòd DEUS fortissima manu sua
cadenti illico adfuturus sit, ut ex veniali illo
calu se colligat, quò vel infirmitatis vel levioris

FF S cujus-

cujuspiam malitiae viuo, etiam adverte
quid ageret, aliquando impinget.

Quamvis verò ad salutem sufficiens sit
mentis Religiosae constantia, nondum
ad perfectionis culmen attingit, qui non
mius aliquid in hac virtute meditatur.
quia de vera humilitate nihil adhuc ob
hic talis, sine qua nulla est, quam tibi gra
ris, perfectio. Secundò, quia qui fugere
nores non cogitat, nisi tunc, cum major
gloria id requirit, frequentissimè se de
ratus, quòd Divini honoris studio trahatur
suis duntaxat commodis, & proprij
voluptate invitatus aget.

Vera denique humilitas non est, hæc
loquimur, voluntatis affectio, quia non
humiliationem, tanquam rem humanæ
debitam, quod proprium est genuinæ
litis, sed vel idcirco solum illam accipit
quòd Divinitus præcepta sit, vel quòd
DEO sit gloriosior. Unde si neque præcep
urgeatur, qui sic duntaxat est humilis, nec
ullum appareat Divinæ Gloriæ incrementum
ex humiliatione proventurum, illam nullam
tione paratus est acceptare: & è contrario
nus non est à quærendo honore, & magni
minis gloriosa existimatione, rebus profectis

modi, quæ ad multa peccata venialia offendiculum ipsi erunt.

Ergo neque hæc humilitatis forma ad Servandum nostrum exemplum satis exacta est.

Affectus.

1. Quantum, ô magne DEUS, ab illo veræ humilitatis decore, quod in me exquiris, adhuc tibi gratulor, qui neque ad secundum hoc humilitatis genus evasi, quantumvis tertio illò, & notissimo longè adhuc inferius! 2. Ah Dole, quàm pauci sunt, qui eò se erigunt! 3. Ah quoties, Benignissime Conditor, rei vanissimæ gratiâ velut per jocum sanctissimas Leges meas affectibus miser postposui, cum neque pro totius orbis opibus, vel tenuissimo tui debuerem adversari! 4. At deinamque mi JESU, siquidem Divinæ manus tuæ præsidio communire me dignaberis, non ita inciceps erit. Supprimam, & seridò quidem, quod te impelles hos voluntatis meæ impetus, & ferendo huic humilitatis modo impensissimè studio me conformare. 5. Da per Victricem gratiam tuam, ut tam robusta sit voluntas mea, quam nulla opum & bonorum omnium oblata spes à Divinarum Legum tuarum sanctissima observatione unquam dimovere valeat. 6. Adde, mi JESU, & novum hunc animo meo

vigorem ad serviendum tibi, & amandum
 & fac, ut in operibus meis non peccatum
 lum respiciam, quod evitem, sed sanctissimam
 voluntatem tuam, quam impleam. 7. *7.*
 mi JESU, ut nobilem illam & admirandam
 humilitatem tuam imitari studeam, cui
 tuam omnem consecrasti.

III. PUNCTUM.

Tertius Modus Humilitatis.

Consideranda.

De hoc Sanctus Ignatius ita habet.

Tertius est modus humilitatis absolutus, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nulla per additō, laus DEI par foret, ad majorem imitationem Christi, eligam cum eo paupere, spreto, & illuso, pauperem contemptum, & insipientia titulum amplius quam opes, honores, & sapientia aestimarem. Porro ad gradum hunc humilitatis attingendum, magnum asseret compendium triplicis Colloquii precedentis de Vexillis per quod suppliciter poscimus (si Divina placeat benignitati) ad talem perducere electionem, sive major, sive aequalis, obsequij mei erga DEVM, & Gloria Divina proventus suscipere.

Vult dicere
 Per

perfectissima humilitas, & sanctissimis Christi
Salvatoris nostri exemplis conformis, vilipen-
siones gloriæ præfert, paupertatem opi-
um, rerum humanarum carentiam omnium
terrestrium bonorum dominio, quoties vel
accepti cujuscumque necessitas, & major DEI
gloria aliud non suaserit.

Tria sunt, quæ observari hîc convenit. Pri-
mò dictum Sancti Ignatii; quòd perfecta hæc
humilitas utrumque priorem modum includat;
ergo secundus humilitatis modus, uti vidi-
mus, Divinæ Voluntati & vitam postponit, &
omnia humana bona, etiam voluptates, quæ
terrenæ felicitatis non sunt pars mini-
mè; certum est, quòd absolutissima hæc &
humilitatis forma ad id omne se exten-
det. Secundò dicit Sanctus Ignatius, quòd
hæc humilitatis modus vilipensionem acceptet,
quæ non major inde in DEUM gloria,
quam ex honore redundaret. Ex quo apparet,
quòd aliud motivum habeat, quàm DEI præ-
ter gloriam. Tertiò dicit, quòd humilitas
tertia contemni gaudeat, ut tantò homi-
nem Salvatori suo similiorem faciat: hoc est,
ut homo, qui illam exercet, hoc ipso exercitiò
Salvatori nostro conformem se faciat, cu-
jus humilitas perfectissima utique, & qualis ista
est,

est, fuit. Neque tamen ideo puta, quod
Doctrina Sancti Ignatii sit, excellentem
humilitatem pro motivo suo imitationem
Redemptoris habere, cum certum sit, hoc
vum ipsam Redemptoris humilitatem
habuisse, neque potuisse admittere.

His ita suppositis explicamus naturam
& perfectam humilitatis, & dicimus, quod
sit, quae amorem propriae excellentiae ita
perat, ut homo considerans nihilum
suae amet, & procuret humiliationem
& actualem suimet annihilationem, quae
per DEI voluntatem illi permissum est;
inquam, & procuret humiliationem
rem, ad quam naturae suae titulo jus
habet, atque adeo legitime sibi debitam;
& Divinae Legi & rationis dictamini
ens est, ut illam sibi procuret, quocirca
rem Divini Numinis gloriam & obsequium
non impedire videbitur.

Jam haec, de qua sermo est, annihilationem
omnis creati boni carentiam includit. Nam
quemadmodum honor, deliciae, & omne
modum, bonitatis & perfectionis titulo
debentur, ita nihilo non debetur aliud, quod
temptus & omnis boni privatio. Cum ergo
tura de se non sit nisi nihilum, recta utique

missura est; neque illum recuset, nisi
 quando cum aliquâ Divinæ Gloriæ
 minutione conjunctus est, hoc est
 dominos in DEUM gloria redundaret,
 fit illa, quæ per contemptum DEO quali
 pitur. Hæc est enim justissima Creatoris
 voluntas, ut in omnibus majorem ejus
 rem & gloriam desideremus, & huic sancti
 mo DEI postulato sincera humilitas
 quam adversari solet. Quod si verò contem
 potest homo sine Divinæ Gloriæ detrimento
 amare debet, & amplecti hanc sui vilipen
 nem, quisquis verè est humilis; quamvis
 nor, qui DEO ex contemptu illo accidit,
 jor non sit, quàm ille, qui per eundem DEO
 demitur. Cùm enim contemptus ejusmodi
 DEI voluntati non sit adversus, permillum
 humilitatis studioso, eum cum merito
 plecti & acceptare.

Est ergo gloriosa DEO humilitas nostræ
 abjectionis atque contemptum, tanquam
 nobis debitæ, religiosus amor, quotiescumque
 alia virtus non est, quæ reddi suum alicui
 veter. Est enim humilitas certâ quâpiam
 tione Justitia erga nosmetipsos: quia contem
 ptum nobis adjudicat, tanquam rem merito
 nostris debitam, nisi aliter DEUS innoeret

Et hinc ab ipso Salvatore nostro hoc nomi-
ne compellatur, cum dicit Sancto Joanni Ba-
ptista: *Sine modo: sic enim decet nos implere
viam Justitiam.* Est denique humilitas vir-
tus in voluntate sita, & Cordis quodammodo
propria, quia amorem excellentiae temperat,
& hoc sensu Christus Redemptor noster dicitur
esse *Humilis Corde.*

Affectus.

1. Agnosco, mi DEUS, quam grandes ego
crimas habeam, profundissime me in nihili &
peccatorum meorum abyssum deprimendi. De-
bet sane hæc cœlestis virtus, tam mihi no-
va, & assiduò experimentò familiaris esse, quàm
insueta & nova mihi est. 2. O Magne DEUS
virtutum! quam ego nunquam sanctissimis his
rebus animum mihi tangi expertus sum,
quibus annihilationes & contemptus amplecti
vellem! quam nunquam illam animi volupta-
tem in contemptibus meis, tanquam in bono
mihi debito sensi! quam procul ab horrore illo
remissi, quo honores, & quidquid gloriam sa-
piam, tanquam res voluntati & votis meis ad-
versas abominari debui! Anima his sanctis
affectibus cor meum, ó Bone JESU! per illud
beneplacitum tuum, quod inde capturus es, te
consecro. 3. Intellego, mi JESU, quid cau-

sa sit, quòd tantò studiò tuam mihi humilitatem cõmendaveris. Illa nempe est, quæ omnem Divinæ Gratiæ tuæ impedimentum submovet, meque totum ita tibi Divinòque Spiritui submittit & consecrat, ut transitorium nihil deinceps velim cupere. 4. Fac, mi JESU, ut hujus nobilissimæ virtutis studio ita me integrum impendam, ut amem, quæram, & contempno animi sensu experiat, contemptum vilipensiones, dolores, & quidquid miseræ naturæ difficile, atque arduum esse solet. Ah Domine! si nihili mei vilitas justè hoc me exigit, ut me deprimam & annihilent omni me honore, omni voluptate spoliem, omnibus naturæ blandimentis, quantum Divinæ Leges tuæ permittunt: quid aliud peccatorum meorum gravitas, & frequentia exigent, quàm ut illorum vindictam non solum desiderem, sed strenuè ipse exequar, ut Divinæ voluntatis supplicia non cogar experiri. Quàm impudens ergo & effrons fui, qui ad sublimia adspirare ausus sim, cum & naturæ meæ vilitas omnem contemptum, & flagitiorum meorum multitudo omne genus suppliciorum mereatur. 7. Ah Agne Innocentissime, si seria humilitas tam profundè te depresso pressit, ut ulteriùs pura creatura demittere se non

non possit, quantumvis unione hypostatica ad
divinitatis excellentiam sanctissima humani-
tas tua elevata esset, quid in me audere non po-
terit, quem reperiet ignobili peccatorum pon-
tere infra omnium creaturarum vilitatem in-
fiam nihil abyssum, ad usque dæmonum ma-
litiarum, & fortè longè adhuc inferiùs, depres-
sum? 8. Extingue, ô Humillime Redem-
ptor, in animo meo, omne vitiosum erga ho-
norum blanditias desiderium, & da ve-
ram ac seriam humiliationis & annihilatio-
nis cupidinem; fac denique, ut ita horream o-
mnes honoris gradus, quos conscendi Divina
tua Majestas non imperaverit, sicut Tu, mi
JESU, vanissimos amores magnorum Nomi-
num in me detettaris.

Triplex debet fieri Colloquium, & gratia
peccati, quâ adjuti, seriò perfectæ humilitatis
studio nos impendamus, & quærendo & exer-
citando etiam humiliationes nostrarum Men-
tium, quoad sine DEI vel offensa, vel displi-
centia fas erit.

Primum Colloquium erit cum Beatissima
DEI Matre. Quam per amorem Filij sui ro-
gabitis, ut illum ita tibi dignetur facere propi-
tium, ut gratiam merearis accipere, necessariam
ad adorandæ hujus virtutis amorem & imita-
tionem.

tionem. Hunc in finem dices: *Ave MARIA.*

Secundum cum Salvatore & Domino nobis instituetur, impensissimè ab ipso flagitando, ad perfectissimam hanc imitationis suam in annihilationis veræ exercitio nos gnetur admittere, & dicendum semel: *Annus Christi.*

Tertium ad DEUM Patrem fiet, repræsentando ipsi infinita Filij sui merita, & infinitam illam in ejus humilitate complacentiam; & rogando, ut aliquando ejus etiam nos dignetur facere participes. Dicendum *Pater Noster.*

Compendium Meditationis.

De tribus modis Humilitatis.

Oratio præparatoria.

I. PRÆLUDIUM. Audire Christum Dominum pulis suis commendantem humilitatis & modestæ fuetudinis studium: Matthæi 11. *Discite me, quia mitis sum &c.*

II. PRÆLUDIUM. Petere gratiam contemplandi, amandi & imitandi humilitatem Redemptoris mei, meque excitandi, ad quamdam in omnibus meâ depressionem, omniumque contemptum, quoties sine Divinæ gloriæ diminutione fieri poterit, amplectendum.

II. Medit. De tribus modis humilitatis. 469

I. PUNCTUM. Primus modus humilitatis est, omnibus illis præceptis subesse velle, quæ sibi gravi peccato obligant. Necessarius est hic modus ad salutem, sed non sufficiens. Speciem aliquam humilitatis habet, quia subesse facit hominem, sed reverà metus inferni est, non amor humiliationis.

II. PUNCTUM. Secundus modus humilitatis est, subijci legibus, tum ad peccatum grave, tum ad leve obligantibus, & indifferentem esse ad omnia, in quibus æqualis est DEI gloria. Plus habet hic modus humilitatis quàm primus, minùs autem, quàm tertius. Sufficit quidem ad salutem, sed non ad perfectionem. Admittit adhuc aliquid ad honorem affectûs, ideo vera humilitas nondum est.

III. PUNCTUM. Vera tandem & perfecta humilitas est amare contemptum, tanquam aliquid, quò dignus sis, & eum ultro acceptare, quamdiu vel manifesta vel tacita quæpiam DEI Lege non prohiberis. Et hæc, quam complectitur iste modus, annihilatio, omnium bonorum, voluptatum, & commodorum humanæ vitæ carentiam comprehendit: tanquam ejusmodi scilicet bonorum, quibus humanæ naturæ despicabilis conditio penitus indigna sit.

Tria fient Colloquia. Primum ad Virginem Matrem, rogando, ut pro nobis apud Filium intercedat. Alterum ad Christum, quem precaberis, ut te ad veræ humilitatis sequelam præparatiatur admitti. Tertium ad DEUM Patrem, quem per merita Filij sui rogabis, ut humilitate ejusdem Unigeniti sui sectatorem faciat. Singula congruis suis orationibus concludet.

XVI. ANNOTATIO.

De Humilitate.

Triplex hæc occurrit quæstio &c.

*Pro Meditatione & tribus
Classibus.*

Postquam anima ope Meditationis de deo
bus Vexillis intellexit, quòd bonorum tempo-
ralium intemperantior amor, sicut ad omne
tiorum genus aditum pandit, ita ingens con-
sequendæ perfectionis obstaculum fit; cum
hac lue nonnihil etiam afflatam deprehendat.
seriò nunc incipit de remedio cogitare, ne
porrò aliquid, quod perfectè DEUM vocat
tem sequi prohibeat. Ad quod suum propo-
tum rectè hanc meditationem adhibet, in qua
opportuna admodum rationem condiscet,
animum à terrenis facibus ita illumem redde-